



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

10. Mortificatio abusûs nominis Dei.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

Etiam, decoram urbanitatem ac modestiam singularem præ me feram, ad gustum & beneplacitum tuum; nihilque admittam, quo oculos tuæ Majestatis offendam.

*Aspirationes.*

I. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram. Ad Coloss. c. 3.*

II. *In ipso motu, gestu, incessu, tenenda verecundia. S. Ambros. L. 1. Offic. c. 18.*

III. *Da mihi, Domine, ita membra omnia regere & gubernare, ut proximis exemplum, oculis tuis spectaculum amœnum exhibeam.*

P A S S U S X.

Mortificatio Abusûs Linguæ,  
In pronuntiando toties, absque reverentia, SS. JESU nomine.

T E X T U S.

*Non assumes nomen Domini DEI tui in vanum. Exodi c. 20.*

Cogni-

*Cognitio.*

**M**agnus & vulgaris abusus est, ad quælibet dicta, absque reverentia, ex mala consuetudine, sacrosanctum DEI aut JESU nomen pronuntiare; ideoque ope examinis particularis, inolita ejusmodi consuetudo abolenda est; additâ pro majore efficacia, quoties deliqueris, nonnullâ oratione, eleemosynâ, aliâve pœnâ.

*Consideratio motivorum.*

Ad vulgare illud cacoëthes abolendum, moveat te I. Prohibitio Supremi Numinis; à quo id vetitum: *Non assumes nomen Domini DEI tui.* II. Pœnæ comminatio: *Nec enim infontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini DEI sui frustra.* Exodi c. 20. 7. III. Ipsa denique indecentia: nomen enim Dei excelsum est & admirabile, sanctum & terribile. Nomen verò JESU dulce quidem est & amabile; sed simul honorabile & excelsum, ac super omne nomen elevatum, in quo omne genu flectitur. Quæ igitur indecentia, quæ inurbanitas est, tale ac tantum nomen, ad res quasvis frivolas in vanum assumere, quod nomine tuo fieri, ægrè ferres?

*Petitio.*

Domine Deus magne & omnipotens:  
qui

qui in monte Sinai, non absque populi pavore, nomen sanctum tuum, in vanum assumi vetuisti: gratiam mihi uberem concede; ut nunquam deinceps nomen tuum absque necessitate & reverentia proferam; atque ita pœnam transgressoribus intentatam effugiam.

*Aspirationes.*

I. *Sanctam & terribile nomen Ejus.*  
Psal. 110. 9.

II. JESU dulcedo cordium,  
Fons vivus, lumen mentium,  
Mel, nectar, melos aurium,  
& Excedens omne gaudium,  
Et omne desiderium!

III. Utinam, mi JESU, nomen tuum ineffabile, nunquam in vanum assumere!

PASSUS XI.

Fuga Mendacii.

TEXTUS.

*Noli velle mentiri omne mendacium. Eccli. 6. 7.*

Cogni-